AD

EXAMINIS PUBLICI SOLLEMNIA

DIEBUS X. ET XI. APRILIS

HORIS ANTEMERID. VIII — XII. ET POMERID. II — V.

CELEBRANDA

GYMNASII PATRONOS FAUTORES DISCIPULORUMQUE PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA


INVITAT

AUGUSTUS GEFFERS
GYMNASII DIRECTOR.

INSUNT:

I. QUINTILIANI VITA. SCRIPSIT E. HUMMEL DR.
II. ANNALES GYMNASII.

GOTTINGAE
TYPIS ERNESTI AUGUSTI HUTH.
MDCCCXLIII.



Vita M. Fabii Quintiliani.

Particula prior.

Prooemium. Quo modo nomen Quintiliani scribendum sit. De avo eius et patre.

Lex est pictorum, ut veram hominis effigiem reddituri magis naturam eius, quam figuram explicare studeant. Recte censeo. Licet enim singulis faciei partibus oculis auribus ipsis pilis maculisque tenerrimis operam darent maximam, tamen neglecta re illa summa nihil repraesentarent nisi aures oculos alia eiusmodi lineamentis arbitrariis coniuncta in unam, ut dicam accurate, larvam. Centrum quasi circulo deesset et partes non haberent, per quod in unum connexae vim et quasi vitam solent accipere.

Eadem lege nullus dubito quin teneantur vitarum quoque scriptores, qui si recte officio suo velint defungi ante omnia id debent agere, ut animum cuiusque et indolem veram ostendant, rerum vero externarum eas modo curent, quae ad illa quasi in conspectum producenda valeant. Quod quam non factum sit in vitis Quintiliani scriptis facile est ad demonstrandum. Nam ut mittam antiquiores Antonium [1]) Dodwellum [2]) Baylium [3]) Fabricium [4]) Gess-

---

1) Nic. Antonii Bibliotheca Hispana vetus. T. I. n. 239—272.

2) Henrici Dodwelli Annales Quintilianei seu Vita M. Fabii Quintiliani per annales disposita. Oxford. 1698. Recusi sunt ad calcem voluminis primi editionis Burmannianae.

3) Dictionnaire historique et critique par P. Bayle s. v. Quintilien.

4) Fabricii Bibliotheca Latina p. 256 sqq. edit. Ernest.

nerum [5]), ne ipse quidem Spaldingius in docta librorum de institutione oratoria editione accuratam auctoris sui vitam composuit, sed ab aliis eius rei otium sibi factum ratus aliqua tantum et ea parum ad ingenium Quintiliani spectantia novis argumentis aut confirmanda aut refellenda rursus retractavit. Et sic fere omnes literarum Romanarum scriptores fecerunt [6]). Quo anno et loco natus sit Quintilianus et mortuus, quot uxores duxerit, quis eum consularibus insignibus ornaverit, quando munus suum scholasticum susceperit deposueritque, alia huiusmodi magna doctrinae impensa exposuerunt, quid revera sit, cur memoria dignus sit habitus, aut nihil curarunt, aut ea tantum, quae negligentissimum quemque lectorem offendunt, ut nimiam Domitiani tyranni adulationem. Atque utinam praeterea nihil habuissem, quod desiderarem. Occupatis enim, quas illi omiserunt, partibus, statim ab initio viam supra laudatam sequi potuissem. Sed ne vera quidem sunt pleraque omnia, quae protulerunt. Nam Dodwellum maxime secuti, eximiae quidem doctrinae virum, sed qui scribendis Quintiliani annalibus ingenii magis vires exercuit ostenditque, quam promissa solvit, nimia credulitate non tam verum spectasse videntur, quam auctoris sui honorem. Quam ob caussam, quum vitam Quintiliani iterum tractandam mihi sumerem, non quia prae ceteris mihi videbar id praestare posse, quod in illis desidero, quod non ignoro quam difficile sit, sed ut tandem aliquando virum inter lumina antiquitatis haud obscurum immerita neglectione non dico ipse liberarem, at certe aliis liberandi auctor essem, ante omnia officium putavi mihi impositum, ut sententiis illorum examinatis emendarem, quae falso proposuisse viderentur, quae recte, comprobarem. Rebus enim externis vel incertis vel etiam falsis, quis veram hominum intelligeret indolem, qui ita a natura sunt comparati, ut ex fortunae temporum locorum aequalium ratione pendeant? In ea igitur re priore hac disputatione laboravi, alteram partem graviorem utique alio tempore, si per occasionem licebit, tractaturus.

Priusquam vero susceptum subeam officium, de nominis scribendi modo disseram oportet. Dubitatur enim, utrum Quinctilianus an Quintilianus sit melius scribendum. Illius defensores rationis nomen a q u i n q u e ducentes,

---

5) in praefatione editionis suae.

6) v. c. Schöll, Histoire abrégée de la littérature Romaine. T. 2. p. 398 sqq. *Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur p. 309. Westermann, Geschichte der Römischen Beredtsamkeit* §. 80.

ut similia Quinctiorum et Quinctiliorum, etymologiae quam dicunt auctoritatem maxime sequuntur; raro enim vel non factum esse, ut quis nomen suum a maioribus traditum variando commutaret. Praeterea monumenta adferunt antiqua, lapidum inscriptiones nummorumque, quibus maxima semper adhibenda fides sit. Contra hoc vero argumentum recte iam Ludovicus Spalding monuit 7), adhuc nonnisi unum lapidem unumque nummum sese cognovisse, qui Quinctilianum praeferrent, eosque aetatis Augusteae, cuius scripturam vetustam recte appellat et cascam prae Quintiliani rhetoris. Quo accedit, ut, quamvis lapides nummique inscribi consueverint ad antiquum morem, usus tamen familiaris suam rationem enunciationi accommodatam atque faciliorem procul dubio inierit. Difficilior est ad refellendum, cuius primo loco mentionem feci rationis. Fundamento enim nititur satis valido, praesertim quum ipse Quintilianus cum in ceteris, tum magis etiam in propriis nominibus verborum origini magnum concesserit momentum 8), iis autem, qui neglecti etymi defensionem consuetudine usus famaliaris suffulcire conantur, recte opponas, consuetudinem ab eodem intelligi consensum eruditorum, nec in loquendo vel scribendo, si quid multis insederit, statim pro regula sermonis accipi 9). Nihilominus cum veteribus Quintiliani editoribus ante Gibsonum, qui primus c̄ illud de suo videtur addidisse 10), atque recentioribus Spaldingio Zumptio quin etymi rationes negligam equidem non possum. Quod ut faciam eximia Quintiliani sanitate moveor ab omni affectatione quam alienissimi 11). Tantum abest, ut speciem doctrinae a vetusto repetat scribendi modo, ut non solum aliorum, sed vel Ciceronis orthographicis idiomatis iudicium suum interponere grammaticum iubeat 12), Ciceronis dico, quem alias divinum praedicat eloquentiae exemplar et doctrinae. Ipse porro dixit 13), hunc esse usum literarum, ut custodiant voces et velut depositum reddant legentibus; ergo sic scribendum quidque esse, quomodo sonet; putabisne in suo ipsius nomine suam legem eum neglexisse? Alteram caussam, cur c̄ illud censeam eliminandum, praestant libri manu scripti, quorum ne ullus quidem stare videtur a

7) in praefatione editionis suae p. XXV.
8) Inst. orat. 1, 6, 31.
9) Inst. orat. 1, 6, 44. sq.
10) His nostris temporibus eum secuti sunt Frotscher et Sarpe. V. Westermann l. c. §. 80. n. 1.
11) Inst. orat. 1, 6, 40.
12) Inst. orat. 1, 7, 11—30.
13) Inst. orat. 1, 7, 31.

parte diversa [14]). Quod, ut ab ignaris plerumque medii aevi librariis scripti sint codices, si c̄ illud esset genuinum, recte mirareris. Neque enim de voce quadam agitur inter multas alias minus forte observata, sed de nomine viri apud posteros pariter atque inter suos celebrati. Unus certe veram clari illius nominis scripturam aut vestigium eius quamvis levissimum credo conservasset, si vulgata fuisset dubia vel etiam falsa. Nec de iis modo loquor, qui praesto sunt institutionis oratoriae, sed scriptorum quoque Quintiliano aequalium, qui nominis eius memoriam reliquerunt, Iuvenalis [15]), Plinii Secundi [16]), Martialis [17]). Etiam apud Gruterum et Muratorium exempla nominis huius litera c̄ carentis frequentissima sunt.

Altera quaestio, quam ante ipsius rei ingressum instituendam putavi, est de patre et avo, quem dicunt, Quintiliani. Illius ipse mentionem fecit [18]); Et cur, inquit, me prohibet pudor uti domestico exemplo? Pater meus contra eum, qui se legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus insumtis re infecta redierat: »Non exigo, ut immoriaris legationi, immorare.« Quali vero conditione usus sit, qua in urbe vitam degerit, ne multa, nihil praeterea de eo memoriae proditum est. Quamquam nihil repugnabo, si qui ex ipso Quintiliani loco colligant, eum Romae vixisse rhetorisque munere functum esse [19]).

Avum autem viri docti cognosse sibi visi sunt [20]) ex M. Seneca bis in libris controversiarum rhetorem quendam Quintilianum laudante. Semel enim exempli gratia eum adducens in controversia de illo, qui fingebatur debilitasse expositos, ut per mendicantes eos debilitatos pecuniam ab aliis emungeret [21]), Circa hunc, ait, sensum est et ille a Quintiliano dictus: »Nescio, utrumne vos miserabiliores dicam, quod alimenta accipitis, an quod huic datis. Accipitis enim, quod debiles estis, ei datis, per quem debiles estis.« Alterum vero locum magis etiam ad rem pertinentem invenies in praefatione eius-

---

14) V. Spald. praef. p. XXVI. Nec in prooemio libri sexti, ubi filii sui Quintiliani noster mentionem facit, codices c̄ illud praebent. V. Spaldingii et Zumptii notas criticas ad §. 9.

15) Iuven. Sat. 6, 75. 280. 7, 186.

16) Plin. epp. 2, 14. 6, 32.

17) Mart. epigr. 2, 90 cf. nota critica Schneidewini in h. l.

18) Inst. orat. 9, 3, 73.

19) V. Anton. l. c. §. 241.

20) Ger. Vossius inst. or. 1, 11. Anonym. in vita Quintiliani, alii multi. V. Anton. l. c. §. 43.

21) M. Senecae controv. 5, 33. p. 352 ed. Bip.

dem libri quinti [22]), ubi Seneca: »Pertinere, inquit, autem ad rem non puto, quomodo L. Magius, gener T. Livii, declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit, quum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent; quomodo L. Asprenas aut Quintilianus senex declamaverit. Transeo illos, quorum fama cum ipsis extincta est.« Iam vero sic fere disputant viri docti, senem dictum esse Quintilianum a Seneca, ut a iuniore alio distingueretur, hunc autem iuniorem M. Fabii Quintiliani parentem fuisse. Quae nemo non videt quam audacissima coniectura inde expressa sint, praesertim quum senex ne legatur quidem in omnibus libris [23]). Illud quidem libenter damus, tempora convenire; nonne autem plures eiusdem nominis viri eadem aetate Romae esse potuerunt? Tacitus certe alius cuiusdam Quintiliani notitiam nobiscum communicavit [24]), quem, quum tribunus plebis fuerit, aetate non repugnante, — anno enim 32 p. Ch. gessit tribunatum — nemo tamen rhetorem nostrum existimabit; et Fabricius quoque numeroso probat Quintilianorum recensu illud nomen haud rarum fuisse Romae [25]). Multam vero suspicionem illa coniectura movet, si originem eius investiges. Scilicet rhetorem istum Fabii avum esse volunt, quo facilius inde hunc non Calagurri, sed Romae natum demonstrent [26]). Quamquam frustra nituntur; concedamus enim avum Quintiliani Romae vixisse, ut Seneca eum audire potuerit, nonne patri eius nihilo secius Calagurritano esse licebat? Et si pater quoque Romae habitasset, fieri tamen potuisset, ut filius Calagurri nasceretur, quum illud quidem probari nullo modo queat, patrem semper vitam degisse Romae [27]).

Sed alia etiam exiit opinio; sunt enim, qui Quintilianum in controversiis Senecae obvium Fabii non avum ducant, sed patrem. In quorum numero est Spaldingius, caussae tamen, cur ita censeat, lectore non admonito [28]). Aliis quidem viris doctis eius rationis argumentum esse placuit in odio, quo L. Annaeus Seneca philosophus et Quintilianus noster dissederunt [29]). Odium

22) p. 318.
23) v. c. in Bipontina anni 1783.
24) Tac. ann. 6, 12
25) Fabric. biblioth. lat. 2, 14. p. 257.
26) V. Bayle l. c. n. E.
27) Cf. Anton. l. c. §. 241.
28) V. notam ejus ad Quint. inst. orat. 9, 3, 73., quo loco cur ad 6, prooem. 13 lectorem remiserit, equidem non perspicio. Hic enim de adoptivo filii sui patre loquitur Quintilianus.
29) V. Anton. l. c. §. 43.

enim aiunt Quintilianus concepit, quod Lucii pater M. Annaeus Seneca, rhetor, patrem eius fere pro nihilo habuerat. Sed haec argumentatio longissime est petita et moribus Quintiliani integerrimis parum consona. Quo accedit, ut ipse Quintilianus prorsus aliam odii caussam apertis verbis nobis indicarit [30]). Scilicet non virum odio persecutus est, sed corruptum eius et omnibus vitiis fractum dicendi genus. Imo vero magnas in eo virtutes, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multam rerum cognitionem praedicare non dubitavit; nec omnino eum conatus est excutere, sed, qnum ipse homines ad severius antiquorum dicendi genus revocaret, potioribus eum, quos non destiterat incessere, praeferri noluit. Num vero recte censuit Spaldingius? Haec quaeso cogita. M. Annaeus Seneca scripsit controversiarum libros Tiberio imperante, qui mortuus est anno 37 p. Ch. n. [31]). In iis autem Quintiliani istius mentionem fecit ut mortui; »nam transeo, inquit, illos, quorum fama cum ipsis extincta est.« Ergo ille pater esse non potuit Quintiliani nostri, qui, ut mox videbimus, mortuo demum Tiberio natus est [32]). Quae cum ita sint, missis coniiciendi artificiis, sine fraude fateamur, nos certi nihil nec de patre, nec de avo Quintiliani compertum habere, inclinari autem in eorum sententiam, qui patrem a viro ignobili apud Senecam discretum rhetorem esse existimant [33]).

Quo anno Quintilianus natus sit.

Natalis Quintiliani annus licet nusquam memoretur verbis disertis, si non ad annum, at certe satis accurate quatuor locis oratoriae institutionis adiuvantibus potest definiri. In primo eorum [1]) Quintilianus »Et Pollio, inquit, noster et Messala defenderunt eosdem, et nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes ferebantur.« Puer igitur fuit Quintilianus eo tempore, quo oratio Crispi Passieni in ore versabatur hominum. Illud quoque indicasse videtur, se non audisse quidem ora-

---

30) Inst. orat. 10, 2, 125 sqq.

31) Bernhardy l. c. p. 308.

32) Miror Westermannum quoque l. c. §. 80. n. 2. hanc temporum rationem neglexisse. Nam Spaldingium secutus iudicat, hominem istum Quintiliani nostri avum esse non posse, sed patrem posse.

33) Etiam illa quaestio, num quis eorum auctor sit declamationum, quae vulgo sub nomine M. Fabii Quintiliani circumferuntur, vix ad liquidum unquam perducetur. V. Westerm. l. c. §. 80, 28.

1) Inst. orat. 10, 1, 24.

tionem, sed tamen id aetatis ingeniique fuisse consecutum, ut rationem iam haberet oratorum operumque eorum; quod facile intelliget, si quis cogitare velit, quomodo Quintilianus alias eiusdem viri orationes laudaverit ante puerum se vel etiam natum habitas [2]). Iam vero Passienus ille orator per fraudem periit Agrippinae uxoris [3]) ante annum certe 49 p. Ch. n. Ab huius enim anni initio femina ista detestabilis, fautoribus suis adiuta, matrimonium Claudii appetiit [4]), quod vivo Passieno nisi decentia abiecta omni non potuisset. Itaque quum oratio ista ante annum 49, ad summum anno 48 habita sit, Quintilianum quoque ante annum 49 inter pueros habeamus necesse est. At vero fines pueritiae late patent. Pueri enim sunt, qui quum vix de gremio exierint, discere serio incipiunt [5]), pueri, qui ceteris quibusdam artibus instituti rhetori traduntur [6]), pueri etiam, qui artis rhetoricae iam studiosi, adolescentibus sedent permixti [7]), puer denique et admodum quidem Demosthenes dicitur, septemdecim annos natus, quum pupillares haberet actiones [8]). Ex illa igitur annorum definitione quid tandem faciamus lucri? Non magnum, libere fatemur, sed aliquod tamen. Namque terminos, quorum alter infantiam, alter adolescentiam tangit, extremos transeuntes si mediam quandam viam ingrediamur, — quod ut faciamus pueri suadet cura in praeclara oratorum opera iam conversa, qualem fere, ut exemplo utamur domestico, filius Quintiliani habuit, quum decimum aetatis annum ingressus non flosculos sicut prior, qui quintum egressus annum mortuus est, sed certos iam et deformatos fructus ostenderet [9]); — facile nobis persuadebimus, Dodwellum ceterosque viros doctos anno 48 sexennem Quintilianum existimantes vehementer falli, nos autem a vero aberrare non longe, si decimum aetatis annum illi tempori constituamus atque unum annum vel duo addere malimus quam deducere. Atque haec quidem aetatis definitio cum ceteris, quibus nitimur institutionis oratoriae locis bene congruit. Nam in altero eorum [10]) idem »Memini, inquit, iuvenis

---

2) V. Inst. orat. 6, 1, 50. 3, 74.

3) Schol. vet. in Juven. Sat. 4, 81. Quod in Eusebii chronico ad Ol. 204, 2 ab Hieronymo notatur: »Passienus filius fraude heredis suae necatur« ad nostrum Passienum non pertinet; quamquam scholia quoque Juvenalis caussam necis hereditatis spem afferunt. Tempora non conveniunt; recte igitur Dodwellus l. c. §. 8. erroris arguit Hieronymum.

4) Tac. ann. 12, 1 sqq.

5) Inst. orat. 1, 2, 1.

6) Inst. orat. 1, 10, 1. 2, 1.

7) Inst. orat. 2, 2, 14.

8) Inst. orat. 12, 6, 1.

9) Inst. orat. 6, pr. 6. 9.

10) Inst. orat. 8, 3, 31.

admodum inter Pomponium [11]) ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an gradus eliminat in tragoedia dici oportuisset.« Quo loco nullus dubito, quin L. Seneca intelligendus sit, non, ut Zumptius in indice putat [12]), Marcus rhetor, qui mortuus est aut Tiberio regnante, aut huic si superstes mansit, ante tamen quam Quintilianus togam sumpsisset virilem. Atque adeo ubicunque Seneca nomen apud Quintilianum occurrit, de eodem utique cogitandum censeo; alioquin, id quod in Hermagoris factum est [13]), lector admonitus esset, ne diversos confunderet. Quo accedit, ut Seneca pater suis ipsius declamationibus haud ita magnus de conservandis modo aliorum meruerit, ea autem controversia, de qua Quintilianus 9, 2, 42 commemorat, Senecae ipsius esse videatur iudicioque palam de eo facto prorsus respondeat [14]). Dictum vero illud de iureiurando (ibid. §. 98), non minus philosopho dignum, quam rhetore, quis dubitet quin Lucii sit, quem constat omnem fere studiorum materiam tractasse [15])? Quis denique Medea tragoedia [16])? Tantum enim abest ut cum viris doctis plerisque omnibus [17]) Lucio Senecae artem tragicam derogem, ut in ea quoque satis versatum eum esse arbitrer, Quintiliani potisssimum nisus testimonio, narrantis eum non solum disputasse de dictione tragoediarum, sed praeter orationes, epistolas, dialogos, composuisse etiam poemata [18]); quae quidem non intelligo, cur aliud quodque carminum genus prae tragoediis malint significare. Quintilianus quum per totum suum librum unius Lucii, ut opinati sumus, rationem habuerit, in aliqua eius parte Medeam Senecae cuiusdam laudat; estne verisimile, hoc uno loco de Lucio non esse cogitandum? Iam vero L. ille Seneca usque ad annum 50 exsul fuit Roma, quo anno, C. Pompeio, Q. Veraunio Coss., ab Agrippina revocatus est, ut praeceptor Neronis esset [19]). Itaque, quum ante exilium suum octenne Seneca disputationem istam cum Pomponio non habuerit, — alioquin se pue-

---

11) Hic est Pomponius ille Secundus, poeta tragicus, cuius vitam scripsit Plinius maior, qui ab illo singulariter amatus hoc memoriae amici quasi debitum munus exsolvit. V. Plin. epp. 3, 5, 3. Dignitatem eius vitae et perpetuitatem famae praedicat Auctor dialogi de oratt. cap. 13. Tacitus multa eum morum elegantia illustrique fuisse ingenio narrat. Ann. 5, 8. cf. 6, 18. Quod iudicium a senibus probatum Quintilianus refert; qui parum quidem tragicum eum putaverunt, eruditione autem ac nitore praestantem. Atque ipse »Eorum, ait, quos viderim, longe princeps fuit.« Inst. orat. 10, 1, 98. cf. Bernh. l. c. p. 182.

12) Alium locum, 9, 2, 98 non sine levitate quadam utrique et philosopho et rhetori attribuit.

13) Inst. orat. 3, 5, 14.

14) Inst. orat. 10, 1, 125 sqq.

15) Inst. orat. 10, 1, 129.

16) Inst. orat. 9, 2, 8.

17) V. Bernh. l c. p. 183.

18) Inst. orat. 10, 1, 129.

19) Tac. ann. 12, 8.

rulo disputatum esse Quintilianus dixisset rectius — necesse est huius admodum iuvenilitas fuerit post annum 50, ita tamen, ut finem ceperit ante annum 58. Hoc enim anno adolescentem sese iam fuisse ipse testatur tertio locorum, quos huic anni natalis definitioni adhibendos putavimus. Nam in capite primo libri sexti (§. 14) Quintilianus: Egregie, inquit, nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, graece quidem, sed in hunc sensum: »Erubescis Caesarem timere.« Cossutianum bis repetundarum accusatum legimus apud Tacitum, primum C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messala Coss., anno 47, ex lege Cincia, qua cautum erat antiquitus, ne quis ob caussam orandam pecuniam donumve acciperet [20]). Post, Nerone secundum, L. Pisone Coss., anno 58, Cilices eum detulerunt maculosum foedumque et idem ius audaciae in provincia ratum, quod in urbe exercuerat [21]). Caussam vero priorem a Quintiliano intellectam non esse verisimile est, quum tempora parum conveniant, nec Cossutianus proprie tunc accusatus sit. Sed consul designatus C. Silius, quum vidisset advocatorum tunc temporis perfidiam, apud Patres legem Cinciam flagitaverat. Quo facto Cossutianus aliique advocati, qui non iudicium, quippe in manifestos, sed poenam statui viderent, circumsteterunt Caesarem ante acta deprecantes. Nec damnatus est. Caesar enim capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur. Contra ea altera caussa bene cum Quintiliano convenit. Namque quum Cilices accusarent, fieri potuit, ut advocatus eorum Graeco sermone uteretur; et mores Cossutiani apud Tacitum ita describuntur, ut cum verbis accusatoris apud Quintilianum facile conjungantur. Hic enim arrogantiam ei vitio vertit, Cilices autem apud Tacitum maculosum eum nominant foedumque et audacem. Quodsi ergo statuas, admodum iuvenem eum dictum esse, qui in confinio versaretur pueritiae atque adolescentiae, quod anno aetatis duodecimo [22]) et decimo quinto contineri arbitror, adolescentem autem quindecim annis aliquanto maiorem, — nam virili toga proxime ornatus adolescentulus plerumque appellabatur — omnia, si quid video, bene inter se conspirant.

Restat ut de Afro Domitio mentionem faciam, cuius assectatorem et

---

20) Tac. ann. 11, 6.

21) Tac. ann. 13, 33.

22) Sic Nero apud Tacitum (ann. 12, 25) a Pallante, ut adoptionem illius festinaret Claudium stimulante, iuvenis appellatur, duodecim aut tredecim annos natus. Natus enim est anno p. Ch. 37, duodevicesimo Kalendas Januarias (Suet. Nero cap. 6.), adoptatus autem ipso anni 50 initio, C. Antistio, M. Suilio Coss.

ipse Quintilianus sese profitetur et Plinius in epistolarnm libro secundo [23]). Quintiliano puero ut Passieni sic eius quoque insignis pro Voluseno Catulo oratio ferebatur [24]). Adolescentulus senem eum coluit Quintilianus, ut non lecta tantum huic sint scripta viri docti, sed pleraque ex ipso cognita [25]). Iuvenis verba quaedam ex illo excepit, qui interroganti, quem Homero crederet maxime accedere »Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo, quam tertio« [26]). Cognovit eum senem quidem, sed dicendi facultate plurimum valentem [27]). Sed vidit quoque summum illum oratorem valde senem quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem, ut agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent. Et ipse Quintilianus confiteri non dubitat, dicta eius non mala quidem, sed minora tamen fuisse tum [28]). Mortuus autem est Domitius Afer anno 60, C. Vipstano, C. Fonteio Capitone Coss. [29]). Quid igitur inde colligamus? Illud sine dubio, tempus, quo adolescentulum sese dicendum putavit Quintilianus, i. e. annum aetatis decimum quartum aut quintum, propius fuisse anno 50, quam 60. Minus enim temporis spatium esse non potest inter senem et valde senem, inter summum florem et hominum sive contemtum, sive miserationem, inter adolescentulum denique admirantem et eum, qui suo iudicio fretus confitetur, non malas quidem, sed minores tamen praestantissimi praeceptoris esse orationes.

Quae quum ita sint recte nobis videmur existimare, Quintilianum circa annum 38, ante tamen potius, quam post natum esse. Sic enim bene omnia conveniunt. Puer ad claram tunc Passieni orationem Domitiique pro Voluseno animum poterat advertere, admodum iuvenis Senecae disputationibus quibusdam interesse, iuvenis verba Domitii excipere, adolescens accusatorem Cossutiani audire, denique adolescentulus Domitium senem quidem, sed eloquentia satis pollentem colere, eundem valde senem gradu suo deiectum dolere. Contra ea qui cum Dodwello annum 42 Quintiliani natalem habet, variis tenetur difficultatibus. Etenim, ut cetera negligam, Passieni orationem Quintilianus non audire modo, sed ne spectare quidem potuisset, utpote 5—6 demum annos natus. Et revera Dodwellus id negat contra apertum loci Quintilianei sensum. Senectus autem Domitii eiusdemque extrema senectus arctio-

23) Plin. epp. 2, 14.
24) Inst. orat. 10, 1, 24.
25) Inst. orat. 5, 7, 7.
26) Inst. orat. 10, 1, 86.
27) Inst. orat. 10, 1, 118.
28) Inst. orat. 12, 11, 3.
29) Tac. ann. 14, 19.

ribus circumscriberentur cancellis. Oporteret enim anno 56 vel 57 eum senem, anno 58 vel 59 valde senem fuisse, illo floruisse, hoc omni honore privatum hominum vel derisum sustinuisse. Quod fieri tam celeriter non solet.

De patria Quintiliani.

In qua urbe natus sit Quintilianus, inter viros doctos lis est; pars enim Romanum eum existimant, alii Calagurritanum. Atque hi quidem, quum ipse Quintilianus nihil de ea re scriptum reliquerit 1), auctores sequuntur Ausonium, qui in commemoratione professorum Burdigalensium, postquam Minervium oratorem alterum togae rhetoricae Quintilianum appellavit, sic pergit vs. 7:

Adferat usque licet Fabium Calagurris alumnum,
Non sit Burdigalae dum cathedra inferior;

praeter eum Hieronymum in Eusebii chronico ad Ol. 216, 4, Quintilianum ex Hispania Calagurritanum dicentem 2) eandemque sententiam tuentem in libro adversus Vigilantium scripto, ubi haec fere verba leguntur: »Iste caupo Calagurritanus et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus miscet aquam vino« 3).

Contra ea vitae, quam viri docti libris Quintiliani de oratoria institutione praemiserunt, auctor incertus 4) libris temporum — Hieronymum sine dubio intelligit vel Cassiodorum — fidem negans habendam Romae eum natum esse confirmat. Quam opinionem testimonio veram reddere conatur Martialis. Is enim, inquit, Calagurritani agri alumnus, quum Hiberos memoria dignos suis epigrammatis inserat 5), nullam de Quintiliano mentionem facit, sed eum separatim cum veneratione nominat:

Quintiliane vagae moderator summe iuventae,
Gloria Romanae Quintiliane togae 6).

---

1) Gessner l. c. praef. §. 3. Illud, inquit, nondum observavi et nescio an alius quisquam, quod Volaterranus ait L. 19 pr., Quintilianum Hispanos suos provinciales appellare.

2) Ex hoc loco Aur. Cassiodorus sua habuisse videtur, idem Quintilianum ex Hispania oriundum affirmans in chronico, Silvano et Prisco Coss.

3) Cf. Wesseling ad Anton. itiner. p. 457 sq.

4) Antonius l. c. n. 2. suspicatur auctorem illius vitae esse Omnibonum Leonicenum Vicentinum, Quintiliani ab anno 1471 illustratorem; alii Vallae eam tribuunt.

5) Animo eius obversatur epigramma 1, 62 ad Licinianum scriptum.

6) Mart. epig. 2, 90.

At vero non id agit poeta, ut omnium scriptorum ex Hispania oriundorum laudes efferat, sed viam modo paraturus ad Liciniani suamque gloriam ab Italis quibusdam scriptoribus claris Virgilio, Livio, Ovidio incipit, tum Hispanorum nonnullorum mentionem facit, denique Liciniani suique ipsius [7]). Praeterea Quintilianus non scribendo laudes sibi paraverat eo tempore, quo Martialis epigramma istud scripsit, sed orando et docendo; quod ipse poeta testatur moderatorem iuventae summum gloriamque togae Romanae eum compellans. Mores quoque Quintiliani summopere candidos laudat in eiusdem carminis versu tertio, quamquam circuitione quadam, dicens

Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam,

sed nullo loco eius scripta. Quamobrem mirandum non est, si inter scriptores illius epigrammatis locum non accepit; ne poterat quidem in eorum numero laudari. Cetera argumenta, quae idem auctor ex auditione Domitii et Senecae Romanoque avi et patris munere rhetorico in auxilium arcessivit, aut supra iam refutata sunt, aut refutatione propter manifestam inanitatem non digna. Nec magis Trebellio Pollione moveor Quintilianum declamatorem Romani generis acutissimum praedicante [8]). Etenim persuasum mihi est, Romanos hic oppositos esse non provincialibus, sed Graecis [9]).

Fidem ergo Anonymo abrogandam, contra Ausonio et Hieronymo praestandam putamus. Sed quaeritur, de qua Calagurri cogitandum sit. Plinius enim duas huius nominis urbes in Hispania novit, quum de Calagurritanis commemoraverit· et qui Nascici [10]) et qui Fibularenses cognominarentur [11]). Quarum haec ad Iberum sita hodie exstat, Calahorra nomine, altera autem, haerens scopulis, ut Ausonius dicit [12]), montes videtur Pyrenaeos attigisse. Antonius cum Zurita, utra earum patria Quintiliani habenda sit, in suspenso relinquunt; ceteri, quos videsis apud Antonium Fibulariae decus illud attribuunt, quia notior ea sit et superstes. Nec ego quidquam decreverim; sed dubium esse non videtur, quin Antonius de sola Nassica cogitaverit et praeter haerentem illam scopulis alius ne notitiam quidem habuerit.

---

7) Anton. l. c. §. 239 putat, Quintiliani mentionem factam non esse, quia Martialis poetas modo enumerare voluerit; quod, quum Livius quoque Senecaeque facundi commemorentur, non facile quisquam dabit.

8) Trebell. Poll. in trig. tyr. 3.

9) Cf. Bayle l. c. n. E.

10) Ex nummo Hieronymus Zurita in notis ad itinerarium Antonini p. 539 probat, non Nascici, sed Nassici legendum esse.

11) Plin. Hist. nat. 3, 3.

12) Auson. ep. 25, 57.

Sed breve modo aetatis spatium Calagurri degit. Quod ex iis manifestum est, quae admodum adhuc iuvenem in auditoriis societatibusque oratorum Romanorum nobis ostendunt. Fortasse ut M. Annaeus Seneca filios suos Cordubae natos infantes fere e provincia secum duxit Romam [13]), ita Quintilianus primis iam pueritiae annis cum patre Hispaniam reliquit, praesertim si verum est, quod sunt qui putent, hunc rhetoris munere functurum urbem petiisse. Nec vero minus libenter assentirer, si quis sedem mutatam contenderet anno demum 49. Sic enim caussa appareret, non solum cur actionem illam Passieni per famam modo nosset, actorum scilicet, quae res in urbe gestas celeriter in provincias promulgabant [14]), librariorum [15]) quoque et iuvenum amicorum [16]) — quamquam non nego, etiam propter pueritiam illud fieri potuisse; pueris enim non licuit actionibus in foro interesse —, sed etiam cur praeceptorum nomina, quod alias non minus obscurum est, quam admirandum, immerito taceret.

De praeceptoribus Quintiliani.

Vetera Iuvenalis scholia [1]) Palaemonem quidem grammaticum magistrum Quintiliani adferunt, sed vereor, ut recte. Quintilianus enim, licet semel haud dubie, fortasse autem bis et ter mentionem eius fecerit, de ea tamen re altum servavit silentium. Nihil dicit, nisi Palaemonem sua aetate res grammaticas tractasse [2]). Quo accedit, ut Palaemon principem quidem locum inter gram-

---

13) Seneca de consolatione ad matrem.

14) Ernesti exc. ad Suetonii vitam Caesaris c. 20. cf. Bernh. l. c. p. 31.

15) *Manso*, *Vermischte Abhandlungen* p. 274 sqq.

16) Dial. de or. 20. traduntque invicem ac saepe in colonias ac provincias suas scribunt, sive in suis aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit.

1) ad Iuv. Sat. 6, 452.

2) Inst. orat. 1, 4, 20. In altero loco 1, 5, 60 praeter nomen nihil scriptum est, quod cum Graecis Telamonis Platonisque coniunctum vix sinit de grammatico nostro cogitari. In tertio etiam loco (1, 6, 35) eum intelligendum putat Burmannus. Ibi enim Quintilianus, quum docti cuiusdam viri opinionem retulerit, stellam dictam esse, quia luminis esset stilla, his pergit verbis: »cuius etymologiae auctorem, clarum sane in literis, nominare ea parte, qua a me reprehenditur, inhumanum est.« At ea quoque, quae 1, 4, 20 de Palaemone commemorat reprehensionem quandam continent. Nec video cur Palaemonis opiniones reprehendere non debuerit, quum vel ipsum Domitium, quem ad imitandum sibi proposuerat, quamquam alia in re, reprehenderit (12, 11, 3). Quam ob caussam illum locum ad scriptorem quendam illa aetate adhuc vivum censeo pertinere. Constat enim Quintilianum vivos laudare noluisse; »parco, ait, (3, 1, 21) nominibus viventium; veniet eorum laudi suum tempus; ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.« Atque illud quidem indicasse videtur, quum viri illius, ut vivi, mentionem cum laude non faciat, inhumanum esse cum vituperatione facere.

maticos tenuerit sua aetate, sed moribus fuerit quam pessimis, adeo ut Tiberius et mox Claudius palam praedicarent, nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum committendam esse. Erat enim non solum summa arrogantia, sed luxuriae quoque summopere indulgebat maximeque flagrabat libidinibus in mulieres [3]). Qui quaeso fieri potuisset, ut Quintilianus, quem aetate provectum moribus bonis multo maius tradere videmus momentum, quam doctrinae, puer tali praeceptore uteretur? Scholiis igitur si quam fidem vis habere, illud modo indicare existimanda sunt, Quintilianum ut de arte oratoria rhetorum, sic de rebus grammaticis Palaemonis iudicia cognoscere studuisse, non tam discipulum, quam aemulum. Quae quum ita sint et alius praeceptoris ne nomen quidem memoriae proditum sit, liquere videtur, id quod supra iam significavi, Quintilianum praeceptoribus quidem bonis et prudentibus usum esse, sed iis tamen, quorum nomina non habebantur in numero Romae praeclarorum. Provinciales erant hominibusque literatis parum noti; quid opus erat nominibus? Libenter etiam credo, ut noster Quintilianus filium suum rhetoricen docuisset [4]), si dilectissimus ille eam aetatem attigisset, qua iuvenes huic arti solebant studere, sic ipsum a patre, si quidem recte hunc rhetorem existimavimus, artem suam et literas edoctum esse. Id enim si damus, silentium eius de praeceptoribus facillime explicatur ingenuo, quo ducebatur, pudore. Illud enim persuadebis nemini, praeceptorum suorum oblitum esse eum, qui ipse discipulos suos prae ceteris id unum maxime monuit, ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia amarent et parentes esse non quidem corporum sed mentium crederent [5]). Quid? quod non semel rationem eorum et prudentiam in exemplum attulit. Sic de iis, qui grammaticen eum docuerant, »Non inutile, inquit [6]), scio servatum esse a praeceptoribus meis morem, qui, quum pueros in classes distribuerent, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant; et ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur. Huius rei iudicia praebebantur; ea nobis ingens palmae contentio; ducere vero classem multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat; tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. Ita nec superior successu curam remittebat, et dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat. Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationem docentium, paedagogorum custodiam, vota parentum, quantum

---

3) Suet. de illustr. Gramm. cap. 23.

4) Inst. orat. 6, prooem. 1.

5) Inst. orat. 2, 9, 1.

6) Inst. orat. 1, 2, 23.

animi mei coniectura colligere possum, contenderim.« Et alio loco [7]) de iis, qui elementa tradebant artis rhetoricae, »Solebant praeceptores mei neque inutili et nobis etiam iucundo genere exercitationis praeparare nos coniecturalibus caussis, quum quaerere atque exequi iuberent, cur armata apud Lacedaemonios Venus, et quid ita crederetur Cupido puer ac volucer et sagittis ac face armatus, et similia; in quibus scrutabamur voluntatem, cuius in controversiis frequens quaestio est.«

Nec vero contentus fuit una hac sive provinciali, sive domestica disciplina, sed ut apud maiores iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate obtinebat: hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in iudiciis, sive in concionibus adsuescebat; et quamquam unum sequeretur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et caussis et iudiciis cognoscebat [8]): ita Quintilianus, quum domi a patre ceterisque praeceptoribus leges artis oratoriae percepisset simulque declamationibus sese exercuisset, et in foro et in circulis celeberrimorum tunc virorum orationes et disputationes audivit, ut exempla eorum aut sequeretur, aut fugeret, si qui ab honestatis veraeque artis studio deficiebant. In numero eorum habendi sunt maxime Iunius Bassus [9]), L. Annaeus Seneca, Iulius Africanus, Crispus Vibius, M. Galeolus Trachalus, Iulius Secundus [10]), Servilius Nonianus [11]), quem diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebrem Tacitus refert [12]), prae ceteris autem Domitius ille Afer, cuius iam saepe mentio est facta. Hunc enim non iuvenis modo coluit, sed per totam vitam adeo admiratus est, ut in veterum numero eum locare non dubitaret [13]), dicta autem eius ceteris iam derisui facti non mala, sed minora tantum iudicaret pietate ductus [14]). Ex omnibus, qui de eo apud Quintilianum sunt, locis manifestum est, neminem alium plus valuisse ad huius facultatem dicendi excolendam. Quapropter alienum esse a nostro proposito non videtur, si quasi per excursum Domitii vitam dicendique rationem quam brevissime fieri potest explicare conamur.

---

7) Inst. orat. 2, 4, 26.
8) Auct. dial. de oratt. c. 34. cf. Quint. 10, 5, 19.
9) Inst. orat. 6, 3, 27.
10) Inst. orat. 12, 10, 11.
11) Inst. orat. 10, 1, 102.
12) Tac. ann. 14, 19. Dodwellus falso hunc quoque praeceptorem Quintiliani appellat (§. 9). Quintilianus vero nihil dicit, nisi eum a se esse auditum.
13) Inst. orat. 10, 1, 118.
14) Inst. orat. 12, 11, 3.

De Domitii vita, studiis, moribus.

Nemauso, urbe Galliae, oriundus [1]) admodum iuvenis Romam videtur migrasse, ut hac in urbe munere oratoris fungeretur. Recens, ut Tacitus narrat [2]), praetura Claudiae Pulchrae accusatae crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficium in Principem et devotiones obiectabat. Quae caussa Lentulo Gaetulico, C. Calvisio Coss. (anno 26 p. Ch.) acta statim Afro haud parvam comparavit celebritatem. Pulchra enim et Furnius damnati sunt, Afer autem primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta asseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. Anno insequente pari, ut videtur, felicitate, Publio Dolabella socio, Varum Quinctilium corripuit, Caesari propinquum, Claudiae Pulchrae filium [3]). Deinde et capessendis accusationibus, et reos tutando prospera eum fuisse fama cum Tacito testatur Quintilianus, qui omnium, quos cognoscere sibi contigisset, oratorum summum eum iudicavit [4]). Summam vero gloriam adeptus est circa annum 45, quo anno oratorem clarum habitum eum esse Hieronymus l. c. scriptum reliquit. Auctor quoque dialogi de oratoribus dignitate eum vitae et perpetuitate famae usum esse narrat, parum eum recessisse a Cicerone aut Asinio ratus [5]); et re vera veterum oratorum non par quidem, sed aemulus tamen fuisse videtur. Quo factum est, censeo, ut dignitas eius post Senecae veterum contemtoris reditum in urbem studiorum non minus, quam senectutis culpa valde imminueretur.

Characterem eius e Quintiliani potissimum institutione novimus. In universum ei tribuit maturitatem [6]). Ingeniosam porro eius urbanitatem laudat et acutam in respondendo [7]), et venustam in lusu verborum [8]). Eandem ironiae quoque salibus condire sciebat [9]), nec minus uti genere illo decipiendi opinionem, aut dicta aliter intelligendi, quae sunt in omni hac risus commovendi materia vel venustissima [10]). Simulationem quoque et dissimulationem, circa quas plurimus est risus, bene adhibebat in suis orationibus [11]). In nar-

1) Hieron. in Eusebii chron. Ol. 205, 4.
2) Tac. ann. 4, 52.
3) Tac. ann. 4, 66.
4) Tac. ann. 4, 52. Quint. 12, 11, 3. Orationum quas habuit praeter memoratas nominatim tres mihi innotuerunt, pro Domitilla Quint. 8, 5, 16. 9, 2, 20. 3, 66. 4, 31. pro Laelia Quint. 9, 4, 31. pro Taurinis Charis. p. 118.
5) Auct. dial. c. 13. 15. Cf. Quint. 10, 1, 118.
6) Inst. orat. 12, 10, 11.
7) Inst. orat. 6, 3, 32.
8) Inst. orat. 6, 3, 54.
9) Inst. orat. 6, 3, 68.
10) Inst. orat. 6, 3, 81.
11) Inst. orat. 6, 3, 81. 85. 92.

rando quae salsa essent, id quod imprimis subtile et oratorium iudicat Quintilianus [12]), mire erat venustus, et complures huiusmodi narrationes eius orationibus insertae reperiebantur [13]). Ne multa, risum movendi non solum valde studiosus fuit, sed maxime etiam gnarus, tantamque sibi comparavit inde gloriam et nomen, ut essent qui dicta ab eo urbane exciperent et ex more illorum temporum scripta ederent. Ita tamen hac ingenii facultate usus est teste Quintiliano [14]), ut malitia plerumque abstinens genus lene potissimum excoleret. In sententiis componendis satis fuit versatus [15]), nec ignarus figurarum et verborum [16]), et sententiarum [17]). Dictionem eius laudat Quintilianus, quod ita composuerit singulas sententias, ut verba in clausulas traiiceret; ita enim fugisse eum teneram delicatamque modulandi voluptatem, ut currentibus per se numeris, quod eos inhiberet, obiiceret [18]). Denique ut quasi totum hominem ante oculos positum videremus, Plinius actionis quoque genus, quo usus est Afer, memoriae tradidit; graviter et lente eum dixisse narrat [19]).

Nec vero oratoris solum munere functus est, quo ex Apri sententia [20]) non aliud in civitate Romanorum vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari poterat, etiam administrandae reipublicae se dedidit. Praetorem eum fuisse ex Tacito compertum habemus, et Frontinus in libro de aquaeductibus scriptum reliquit, eum in aquis curandis sub Claudio imperatore Gallum secutum esse [21]). Nec dubito, quin etiam aliis honoribus ornatus sit, quum principi gratus esset et acceptus.

Denique non solum usu, sed ratione quoque artem oratoriam cognitam habuit. Scriptos enim edidit duos de testibus libros, quos sibi lectos Quintilianus ait [22]); nec licet dubitari, quin optime rem suam tractaverit, quum ipse Quintilianus de ea nihil quod diceret se habiturum confessus sit, nisi universam institutionem aggressus esset. In sermonibus autem domesticis ex

---

12) Inst. orat. 6, 3, 39. Utinam, inquit, adiici ad consuetudinem posset, ut iocos inserere moris esset. Cf. 2, 10, 9.

13) Inst. orat. 6, 3, 42

14) Inst. orat. 6, 3, 27. 93. 94.

15) Inst. orat. 5, 10, 79. 8, 5, 3. 16.

16) Inst. orat. 9, 3, 66. 79.

17) Inst. orat. 9, 2, 20.

18) Inst. orat. 9, 4, 31.

19) Plin. epp. 2, 4

20) Dial. de oratt. cap. 5.

21) Is est sine dubio Didius ille Gallus, cui Afer, quum provinciam ambitiosissime petiisset, deinde impetrata ea tanquam coactus quereretur, ironia urbane usus »Age, inquit, aliquid et reipublicae caussa elabora. V. Quint. 6, 3, 68.

22) Inst. orat. 5, 7, 7.

more et maiorum et suae aetatis cum iuvenibus habitis, quaecunque ad rhetoricen et grammaticen pertinebant, diligenter videtur tractasse. Namque quid de testibus senserit, etiam ab ipso sibi cognita esse Quintilianus narrat loco proxime citato; idemque iuvenis excepit eius iudicium de Virgilio post Homerum secundo [23]), de quibus rebus grammaticos disserere solitos esse apud eundem Quintilianum legimus [24]). Atque mihi quidem persuasum est, Afrum etiam inter illos esse senes doctissimos, quos sibi dixisse Quintilianus refert, nomina Graeca, ut Atreus, acuta prima pronuncianda esse, ut secunda gravis esset [25]). Interea ex his, quae dixi, si quis suspicari velit, Afrum modo rhetorum adolescentulis, ut declamando exercerentur, scholas aperuisse, vereor ne magnopere fallatur. Tale enim munus virum consularem non decuit. Imo vero domi iuvenes sui studiosos docuit vel sermocinando, vel interdum etiam orantibus praeeundo; eamque ipsam ob caussam Quintilianus eius non discipulus appellatur, sed vel auditor, vel assectator.

Restat ut de moribus incliti illius oratoris pauca disseram. Tacitus locis iam supra citatis eum prosperiore ait fuisse eloquentiae quam morum fama; et diu egentem parto nuper — nimirum quum Claudiam Pulchram vicisset — praemio male usum plura ad flagitia accinctum esse. Contra a Quintiliano tam diligenter cultus est et observatus, ut non dubitem Taciti iudicium asperius vel etiam iniustum existimare. Quid enim? an putas, qui oratorem perfectum nisi virum bonum esse non posse professus est non semel [26]), ab eodem virum male moratum non dico laudari, sed optimum suae aetatis oratorem praedicari potuisse? Illud unum ei vitio vertit, quod maluit deficere, quam desinere [27]). Atque hac in re cum Tacito bene convenit, qui quum modicum eum dignationis appellet et quoquo facinore properum clarescere [28]), nimiam utique cupiditatem gloriae vituperat, qua incitatus vel innocentes persecutus sit. Asperitas autem, qua numero civium excidisse apud Plinium narratur, quem socium etiam in liberis habuerat, moribus excitata videtur illius, cuius bona proscribenda curavit; atque satis vitium illud, si erat vitium, emendavit pietate, qua filios eius testamento heredes suos reliquit [29]).

Is igitur vir permultum ad doctrinam Quintiliani valuit, qui quamvis

23) Inst. orat. 10, 1, 86.
24) Inst. orat. 1, 4, 2 sqq.
25) Inst. orat. 1, 5, 24.
26) Inst. orat. 1, prooem. 9. 12, 1, 1. 1, 15, 1.
27) Inst. orat. 12, 11, 3.
28) Tac. ann. 4, 52.
29) Plin. epp. 8, 18.

nullius sectae velut quadam superstitione imbutum se addixerit [30]), eo tamen perductus est Domitio auctore, ut Ciceronem ceterosque aureae, quam dicunt, aetatis oratores quam maxime coleret [31]), recentiores contra, ut Senecam, aeque aspernaretur, atque antiquitatis admiratores, quorum intemperans orationis obsoletae amor tum latius coeperat vagari [32]). Quod inde maxime colligo, quod ipse Domitius, ut supra dixi, veterum appellatur aemulus; et in veteribus haud dubie Ciceronem recte numeramus. Nec vero sola eius doctrina per virum illum celeberrimum directa est et conformata, sed, id quod statim e sequentibus apparebit, etiam vita [33]).

Quintiliani discessus in Hispaniam et reditus.

Hieronymus, doctissimus chronicorum Eusebianorum interpres, ad Ol. 211, 4 (a. Ch. 69) haec adnotavit: »M. Fabius Quintilianus Romam a Galba perducitur. Quibuscum si animo coniunxeris quae altero loco supra iam citato idem narrat, Quintilianum ex Hispania Calagurritanum fuisse, licet ipse Quintilianus de ea re nihil memoriae prodiderit, facile tamen tibi persuadebis, eum

30) Inst. orat. 3, 1, 22.

31) Saepe divinam Tullii laudat eloquentiam (2, 16, 7) eiusque observationem certissimum praedicat praeceptorum genus (11, 1, 71). Imprimis autem, quanta verecundia Ciceronem spectaverit, ex iis apparet, quae 3, 2, 20 iudicat; »Praecipuum vero, ait, lumen sicut eloquentiae, ita praeceptis quoque eius dedit unicum apud nos specimen orandi docendique oratorias artes M. Tullius; post quem tacere modestissimum foret, nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret, et in oratoriis haec minora, quae plerumque desiderantur, sciens omisisset.«

32) Inst. orat. 2, 5, 21. Postquam Ciceronem et ut quisque est Ciceroni simillimus legendos Quintilianus commendavit, sic pergit: »Duo autem genera maxime cavenda pueris puto; unum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit; fient enim horridi atque ieiuni; alterum, quod huic diversum est, ne recentis huius lasciviae flosculis capti voluptate quadam prava deliniantur, ut praedulce illud genus et puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament. Paulo ante (2, 5, 10) in oratione recentiorum esse ait multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata; haec tamen non laudari modo a plerisque, sed propter hoc ipsum, quod sint prava, laudari. Neque vero negat, multam quoque iis adesse virtutem, quosdam etiam esse, quos totos imitari oporteat (2, 5, 24 sqq.).

33) Quo anno Quintilianus inceperit operam dare Domitio nescimus quidem, sed admodum adhuc iuvenis aut anno 50, aut paullo ante inter auditores eius fuisse videtur. Nisi enim, opinor, Domitii doctrina iam fuisset imbutus, quum Seneca rediret, ut ceteri iuvenes Romani et ipse praeceptorem sibi sumpsisset virum istum tunc temporis inter philosophos dicendique gnaros celeberrimum. At anno 50 Domitium iam audiverat veterum studiosum, quam ob caussam Senecae adversabatur, repudiata oratione eius vitiosa.

ante annum 69 in Hispania fuisse. Atque omnes, ni fallor, viri docti hanc amplexi sunt sententiam, quamquam vera caussa, cur in Hispaniam discesserit, non intellecta. Putant enim, Galbam, quum provinciam administraturus eo proficisceretur, comitem eum accepisse [1]). Galba autem statim post mortem Neronis, anno 68 exeunte, Romam rediit, postquam per octo annos, id quod Suetonius et Plutarchus testantur [2]), illi provinciae praefuit. Ergo Quintilianus anno 61 exeunte, secundo post mortem Domitii, quum natus esset annos viginti tres, in Hispaniam discessisset. At vero in Hispania, non Romae Galba patronus Quintiliani factus esse videtur; quod ipsa Hieronymi verba veri reddunt simillimum, quae, nisi rem aliquam inopinatam dignamque memoria continerent, inepta fere essent, nec ullum praeberent sensum commodum. Contra autem opinionem omnium non accidisset reditus Quintiliani, nisi solus antea emigrasset numquam rediturus. Quis enim miraretur, si Galbam ut discedentem, sic redeuntem quoque comitatus esset? Praeterea mihi quidem persuasum est, Quintilianum ante mortem Domitii Romam reliquisse. Ne verbo quidem eam tetigit; id putasne virum potuisse, quo nullus unquam fuit animo gratiore beneficiorumque magis memore, si quidem oculis suis eam vidisset; praesertim quum occasio idonea frequenter sit oblata, illo maxime loco, quo de summa eius senectute sermo est? Itaque censeo, Quintilianum anno 59 in Hispaniam emigrasse; antea enim fieri non potuit, quum anno 58, ut vidimus, actioni Cossutiani interesset. Sed cur tandem urbem illam reliquit, qua nulla exoptatior esse poterat viro gloriae cupido? Multi oratores prima stipendia in provinciis merebant, exculta demum dicendi facultate viribusque satis corroboratis urbem Romam repetituri; quidni putabimus, Quintilianum quoque hunc morem tenuisse? Sed alia etiam caussa eum movit; scilicet intelligebat, Romae se non esse profecturum, quamdiu Seneca et qui eum sequebantur summa apud principem et populum auctoritate fruerentur. Prudentior igitur praeceptore, qui maluit contemni, quam silere, adversariis potentioribus cessit et, quum locum sibi peteret vana illorum ostentatione adhuc liberum, in provinciam migravit satis a Roma remotam, Hispaniam, in urbem fortasse Calagurrim. Atque hanc quidem prae ceteris elegit, quia patria esset ideoque honorum adipiscendorum faciliorem sibi aperiret viam. Quo munere ibi functus sit, per se apertum est; nec sane erat, cur Dodwellus l. c. §. 9 multis verbis demonstrare conaretur, eum non militasse in Hispania. Ut

1) V. Dodw. l c. §. 9

2) Suet. Galba c 9. Plut. Galba c. 4.

postea, sic illo quoque tempore et in foro et in schola artem orandi exercuit. Si quid unquam eum impedivisset, quominus huic officio per totam vitam exoptatissimo studeret, eius rei profecto non neglexisset nos data occasione admonere.

Anno 68 exeunte a Galba, Neronis successore, dignus habitus, qui se comitaretur, Romam eo libentius repetiit, quo minus esset, Seneca ac Nerone mortuis, quod a parte oratorum adversaria sibi timeret.

Quo modo et quamdiu Romae Quintilianus oratoris atque praeceptoris officio functus sit.

Tempore peropportuno Romam reversus est Quintilianus. Post enim infelicissimum Neronis imperium et breve quidem illud sed inquietum anni unius spatium, quo Galba, Otho, Vitellius rebus Romanis praeerant, quum Vespasiano et Tito imperatoribus maior orbi evenisset salus, literarum studia vigebant quasi e vinculis liberata, ars imprimis rhetorica. Vespasianus enim fovit quidem ingenia et artes vel maxime, rhetores autem adeo, ut primus e fisco et Latinis et Graecis annua centena constitueret [1]). Et magnam oratoris eximii gloriam brevi tempore in illa quoque urbe adeptus est. Martialis testis est, qui loco supra iam citato gloriam Romanae togae eum nuncupat, et Iuvenalis, quamquam non virtutum modo, sed vitiorum quoque, si quae erant, memor [2]). Ipse denique idem testatur. Nam, »Credo, inquit, ad aliquod nomen ingenii me pervenisse« [3]); et alio loco »Fecisse hoc in foro, quotiens aliqua ita desiderabat utilitas, probantibus et eruditis et iis qui iudicabant scio«; nec arroganter id se dixisse asseverat; esse enim plurimos, qui se refellere possent, si mentiretur [4]). Praeterea illud quoque gloriam eius ostendit, quod discipuli sermones eius de arte rhetorica habitos, notarii actiones exceptas evulgarunt [5]). Homini enim parum probato id nunquam accidit.

Superstes autem est actionum, quas habuit, nulla, nec illa Naevii Arpiniani, quam, ut libere fatetur, iuvenili gloriae cupiditate ductus solam

---

1) Suet. Vesp. c. 18. Hoc praemio quin etiam Quintilianus fructus sit non dubito, quamquam fama de ea re ad nos perlata non est.

2) Iuven. Sat. 6, 75. 7, 186 sqq. 6, 280.

3) Inst. orat. 6, 2, 36.

4) Inst. orat. 4, 2, 86.

5) Inst. orat. 1, prooem. 7. 3, 6, 68. 7, 2, 24.

emisit [6]), nec earum ulla, quae sub nomine quidem eius ferebantur, sed negligentia excipientium in quaestum notariorum corruptae minimam eius partem habebant. Ipse negotiorum mole distractus actiones suas non emisit. Sed nomina et argumenta nonnullarum reliqua sunt, ut praeter Arpinianeam eius, quam pro regina Berenice dixit [7]) et reae cuiusdam, quae subiecisse dicebatur mariti testamentum [8]). Utraque earum erat difficillima, quum in illa apud reginam suae ipsius rei iudicem verba deberet facere [9]), in hac autem genus illud figurarum adhibendum esset, in quo per quandam suspicionem quod non dicimus accipi volumus, non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, sed aliud latens et auditori quasi inveniendum [10]). Tamen utramque obtinuit, quod de priore etiam commemoratio demonstrat; de altera autem ipse narrat, quod efficere voluerit contigisse. Interea, quamquam de actionibus eius pauca modo comperimus, nihil tamen dubito, quin omnibus approbantibus frequenter in foro versatus sit [11]). Et qui aliter esse poterat? Virum prae ceteris omnibus artis oratoriae non solum peritissimum — libri de institutione oratoria abunde id ostendunt —, sed etiam amantissimum [12]), et qui summam diligentiam studiumque assiduum in orationibus suis collocavit [13]), virum denique magis etiam moribus excellentem, quam doctrina illa admiranda necesse erat fidem sibi facere apud cives suos factamque praestare. Quid? quod affectuum movendorum, quibus orator citissime probatur populo, rationem se-

---

6) Inst. orat. 7, 2, 24. Quaesitum est in ea, »Praecipitata esset a Naevio uxor, an se ipsa sua sponte iecisset.« Exemplum est ἀντικατηγορίας et Quintilianus in ipsam uxorem factum deflexisse videtur et, ut sua manu, non per alium femina perisse probaretur, utriusque partis argumenta inter se comparasse. Similem caussam, etiam in nominibus, Tacitus commemorat (ann. 4, 22) et fuerunt, qui hanc cum illa eandem putarent, ut Burmannus in editione sua ad l. c. et Fabricius in indice scriptorum, quorum a Quintiliano mentio fit. V. Bibl. lat. 2, 310, unde, ni fallor, menda irrepsit in Zumptii indicem nominum propriorum, qui s. v. Quintilianus Aproniani praebet, quod est nomen Taciteum, licet in ipso libro cum optimis Arpiniani legatur. Sed recte iam Spaldingius ad l. c. animadvertit, manifestas esse plurimas rei utriusque differentias, quarum quas temporis rationes ostendunt hic sufficiat considerare. Caussa enim, cuius apud Tacitum mentio fit, acta est Tiberio imperante, anno 24 p. Ch., verum Quintiliani caussa procul dubio non ante annum 58, ex Dodwelli sententia, quam tamen mihi non satis persuasit, anno demum 70.

7) Inst. orat. 4, 1, 19.

8) Inst. orat. 9, 2, 73. Angelus Politianus falso censet, hanc quoque orationem pro regina Berenice habitam esse.

9) De difficultate huius rationis vid. Inst. orat. 4, 1, 18 sqq.

10) Inst. orat. 9, 2, 65.

11) Inst. orat. 9, 2, 73.

12) Inst. orat. 2, 16, 12. 17. 17, 3.

13) Inst. orat. 7, 1, 3 sqq.

cutus est unice veram, ut apud eum primum valerent ea, quae valere apud auditores vellet, afficereturque, antequam afficere conaretur [14])? quod tantum abfuit, ut plerisque similis esset, qui eloquentiae famam affectantes contenti erant locis speciosis modo vel nihil ad probationem conferentibus, ut mallet bene, quam belle dicere et quamlibet pulchram locutionem, nisi ad victoriam tenderet, utique supervacuam, interim etiam contrariam putaret [15])? Denique a natura ipsa recte faciendi operis subsidia acceperat; memoria enim adeo valuit, ut, si quando interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset, etiam quae ex tempore videbantur effusa esse ad verbum repetita redderet [16]).

Minus studii in declamationibus collocasse videtur, parum similis aequalium suorum inde exoptatam celebritatis palmam sibi quaerentium. Quamquam enim eas, si modo ad veritatem accommodatae et orationibus similes essent, non tantum dum adolesceret profectus, utiles iudicavit propter inveniendi et disponendi exercitationem, sed etiam quum esset consummatus orator et iam in foro clarus: ali enim atque enitescere velut pabulo laetiore facundiam et assidua contentionum asperitate fatigatam renovari [17]): tamen neque adolescentulos nimium in falsa rerum imagine inanibusque simulacris detinendos existimavit [18]), nec etiam iis, qui et aetate et eruditione magis progressi essent, in illis ludis diutius commorandum esse ad voluptatem potius atque ostentationem, quam meditationem forensium actionum compositis [19]). Verum si quid declamavit, eam haud dubie iniit rationem, ut vitia ceterorum declamatorum, concitatam semper orationem, verborum magnificentiam, frivolam dicendi cupiditatem, alia quae in meritas saepe incurrunt eius reprehensiones [20]) diligenter evitaret [21]).

Magnam autem, ne dicam maximam quietis partem iuvenibus dedit erudiendis summus ille, ut verbis utar Martialis, vagae iuventae moderator. Nec suae tantum aetatis, sed totius antiquitatis optimus mihi quidem videtur fuisse praeceptor. Admiranda profecto sagacitate vitiosam plurimorum magi-

---

14) Inst. orat. 6, 2, 25 sqq. Frequenter motus sum, ut me non lacrimae solum deprehenderent, sed pallor et veri similis dolor.

15) Inst. orat. 2, 4, 32. 4, 3, 2.

16) Inst. orat. 11, 2, 39.

17) Inst. orat. 10, 5, 14. cf. 17.

18) Inst. orat. 10, 5, 17. cf. 12, 11, 15.

19) Inst. orat. 4, 3, 2. 5, 12, 17.

20) Inst. orat. 3, 8, 58. 69. 10, 2, 12. 7, 21.

21) De declamationibus undeviginti maioribus et centum quadraginta quinque minoribus, quae sub nomine Quintiliani feruntur interim vid. Westerm. l. c. §. 80, 28. Spalding. praef. p. XL. Cf. sup. p. 6. n. 33.

strorum ac patrum rationem aperuit, quorum illis nunc vanam ostentationem, nunc officiorum desertionem non excusandam exprobrare, his autem illud vitio vertere non dubitavit, quod fucatam magis, quam veram eruditionem filiis suis appeterent, eorumque declamationes numerarent potius, quam aestimarent [22]). Nec restitit in vituperando, sed iniit meliorem, ut dicam accurate, viam unice veram. Quis est enim, qui dubitet suas facere duas, quas proposuit, leges, unam, omni praeceptori fingendum esse, Alexandrum dari sibi impositum gremio [23]), alteram, discipulum ita esse instituendum, ut vir vere sapiens i. e. non modo scientia, sed etiam moribus perfectus evaderet [24]), quarum prima methodum, altera summum docendi finem spectat? Quantus denique quamque incorruptus eum tenuit discipulorum suorum amor, quibus, quum iam pridem munus scholasticum abdicasset, consulere perseveravit.

Nomina iuvenum, quos instituendos suscepit, pauca tantum innotuerunt. Nam praeter C. Plinium Caecilium Secundum [25]) nepotesque sororis Domitiani Augusti [26]) de aliis non constat [27]). Sed ne opus quidem est pluribus. Etenim quum hi illustri sint testimonio, neminem illa aetate ornatum esse maiore fide famaque laetiore non solum apud cives, sed ipsum quoque principem, ille et matura, qua claruit, orandi facultate [28]), et libris, qui hodie exstant, elegantissime scriptis facile nobis persuadet, fidem istam atque famam non fuisse immeritam.

Per viginti annos munere praeceptoris functus est [29]); nec diutius in foro videtur dixisse, quum secus ac Domitius Afer honestissimum finem putaret desinere, dum desideraretur, nec peius quidquam facere vellet, quam fecisset [30]). Quando autem in foro esse et scholam iuvenibus aperire instituerit, non minus obscurum est, quam quo anno impetrata quiete suis studiis sese dederit. Dodwellus [31]) et qui eum sequuntur annos illos viginti arcessendos putant ab anno aerae Christianae 68 exeunte, desinereque adeo anno 88 ipso quoque exeunte. Hieronymi potissimum testimonio nituntur, qui loco

---

22) Inst. orat 2, 7. 2, 1, 1. 10, 5, 21 sqq. 23) Inst. orat. 1, 1, 24.
24) Inst. orat. 1, prooem. 18 sqq. 10, 2, 9. 25. 12, 1, 1.
25) Plin epp. 2, 14. 6, 6. 26) Inst. orat. 4, prooem. 2.
27) Sunt qui arbitrentur, Iuvenalem quoque discipulum eius fuisse. V. praefationem Angeli Politiani in M. Fabii Quintiliani inst. orat.
28) Plin. epp. 5, 8, 8. Undevicesimo aetatis anno dicere in foro coepi.
29) Inst. orat 1, prooem. 1. 30) Inst. orat. 2, 12, 12. 12, 11, 1.
31) Dodw. l c. §. 12

saepe iam citato narrat, Quintilianum anno 88 scholam publicam aperuisse et claruisse [32]). Ita nimirum haec verba intelligunt, ut aperuisse certi cuiusdam temporis ratione non habita in universum dictum, claruisse autem ad annum 88 pertinere arbitrentur. Male, aiunt, Hieronymum intelligunt, qui illo demum Domitiani anno scholam a Quintiliano apertam existimant; verbum autem claruit, quum ad rem gestam aliquam insignem, quae quasi vitae quaedam epocha habenda est, referendum sit, abdicatam a Quintiliano scholam respicit. Sed ut illud ego quoque nego, sic perridiculum proculdubio est claruisse aliquem dicere eo tempore, quo abdicavit suum officium. Praeterea ad eundem annum Hieronymus adnotavit, mathematicos et philosophos urbe Roma pulsos esse a Domitiano, quod factum post scriptam nostri institutionem oratoriam recte animadvertit Dodwellus. Scripsit autem Quintilianus, quum iam pridem scholam abdicasset; ergo manifestum est, verbum istud claruit aliud quid, quod postea videbimus, indicare, non scholam abdicatam. Reliqua argumenta ex Martiale, Plinio, ipsis Quintiliani libris producta aut nihil probant, aut illud tantum, ante annum 79 in foro scholaque versatum esse Quintilianum.

Aliam igitur viam ingrediamur necesse est, qua spero, fore ut ad finem vero proximum perducamur. Anni enim illi viginti initium non ceperunt a reditu in urbem Romam, sed ab ipso in Hispaniam discessu, ab anno igitur 59. Cur dubitemus annos Calagurri foro scholaeque datos iis adnumerare, qui Romae iisdem rebus impensi sunt? Miles stipendiis per viginti annos meritis quietem impetrabat, sive in Italia militaverat, sive in provinciis, putabimusne idem rhetori non accidisse? Unum huic sententiae videtur repugnare, quod Martialis nostrum ita commemorat in secundo epigrammatum libro, ut appareat tempore eo laude dignus est habitus, quo munus suum nondum abdicasse. Sed videtur modo. Largiamur enim, ut Martialis imperante demum Domitiano carmina sua emiserit [33]), nonne veri est simillimum, multa tum prodisse antea iam scripta? Sane hercule, atque alia esse pro certo scimus, quae sub Tito, alia in libro de spectaculis, quae tempore Neroniano scripta sint. Iam vero initium docendi orandique si fuit annus 59, finem in annum 79 cadere necesse est. Quod cum ceteris rebus, quae memorantur, Plinii

---

32) Id in praesentia damus Hieronymum dicere voluisse; post autem apparebit, ut verba, ita sensum quoque a Dodwello depravatum esse.

33) Ex Dodwelli sententia librum secundum ante finem anni 82 non edidit Martialis.

institutione et caussa Berenices bene congruit. Plinius enim, qui anno 79 duodeviginti annos natus apud avunculum Miseni versabatur, quindecim autem natus rhetori ex more traditus est, nisi annis 76—78 Quintiliano studere non potuit. Regina autem Berenice Vespasiano sextum, Tito quartum consulibus, anno 75, cum fratre Agrippa Romam venit, ut in Palatio habitaret intimaque Titi familiaritate uteretur, rata in matrimonium se ductum iri a fratre principis imperiique successore. Vivebat cum eo, quasi uxor eius esset, et revera Titus ei nuptias pollicitus ferebatur. Sed populus aegre id ferebat, ut Titus eam repudiaret cogeretque urbem relinquere. Atque etiam paulo post eam statim dimisit, quum ipso imperii initio, anno 79, redisset, quamquam invitus invitam [34]). Ergo caussa illa acta esse non potest, nisi anno 76 vel 77 vel 78. Alio enim tempore Berenice Romae non est commorata.

De libris post abdicatum dicendi et orandi munus a Quintiliano scriptis.

Post abdicatum initio munus praecipiendi et mox dicendi quoque in foro Quintilianus duplici modo hominum utilitati se accommodavit. Primum enim ut Cicero olim Caelium, Pansam, Hirtium, Dolabellam, alios bonae mentis iuvenes in morem praeceptoris exercuerat quotidie dicens audiensque, sic et ipse iuvenes sui studiosos ac veram dicendi viam velut ex oraculo petentes formavit quasi eloquentiae parens, non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis et adolescentium, quos suos semper putavit [1]). Praecipue tamen, id quod cuique oratori faciendum suasit [2]), otium suum consolari studuit inquirendo scribendoque talia, quae futura usui bonae mentis iuvenibus arbitrabatur, ipsi erant voluptati [3]).

Atque primum quidem scripsit librum de caussis corruptae eloquentiae, quem sunt qui falso, ut videbimus in altera huius disputationis parte, cum dialogo de oratoribus Tacito plerumque adscripto eundem putaverint [4]). Sed nihil eius hodie exstat praeter titulum et locos quosdam in libris de oratoria

---

34) Dio Cass. 66, 15. 18. Suet. Tit. cap. 7. cf. Dodw. l. c. §. 13.

1) Inst. orat. 12, 11, 5 sqq. 7, 3, 30. 3, 8, 70.

2) Inst. orat. 12, 11, 4. 3) Inst. orat. 2, 12, 12.

4) Lange, Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus. Cf. C. Cornelii Taciti dial. de oratt. rec. Dronke, prolegg. p. XVI sqq. Alii Plinium minorem eius libri auctorem existimant; vid. Kramarczik, dissertatio de C. Caecilio Plinio Minore Dialogi de oratoribus auctore p. 3.

institutione inde allegatos [5]). Deinde autem composuit duodecim, quos adhuc tenemus, libros de institutione oratoria, opus praeclarum, literarum omnium, non unius modo aetatis decus. Tantum enim aberat, ut vulgarem viam ingressus aliorum demum vestigiis insisteret, qui artem orandi literis tradituri ita exordiebantur, quasi perfectis omni alio genere doctrinae summam inde eloquentiae manum imponerent, ut nova ac pleniore simul inita ratione libros suos ab ipsis discendi velut incunabulis per omnes, quae modo aliquid oratori futuro conferrent, artes ad summam eius operis perduceret [6]). Si verum est, quod fere censent viri docti, orandi artem omnium literarum summam illa aetate habitam esse, librum Quintiliani encyclopaediam paedagogicam pro ratione illorum temporum satis absolutam recte nominabimus. Sed illuc redeamus veram libri indolem alio tempore expposituri.

Scribendae institutionis ansam dederunt familiarium maxime postulationes, qui ex diversis priorum opinionibus et quibusdam etiam inter se contrariis quas sibi eligerent nescii Quintiliano, si non inveniendi nova, at certe iudicandi de veteribus iniungere laborem non iniuste sibi videbantur. Diu quidem reluctatus erat, quod auctores utriusque linguae clarissimi multa de ratione dicendi diligenter scripta reliquissent posteris; sed frustra reluctatus erat, quum magis etiam deprecatione animos eorum accenderet. Sed quum victus tandem esset non tam praestandi, ut ait, quod exigebatur fiducia, quam negandi verecundia, plus quam imponebatur oneris sponte suscepit. Praeterea illud quoque ad scribendum eum perduxit, quod duo iam sub nomine eius libri ferebantur artis rhetoricae, neque editi ab eo, neque in hoc comparati. Namque alterum, sermonem per biduum habitum, pueri, quibus id praestabatur, exceperant; alterum pluribus sane diebus, quantum scribendo consequi potuerant, interceptum bini iuvenes, sed nimium amantes eius, temerario editionis honore vulgaverant. Ne quis igitur falsam de se conciperet opinionem, ipse libros suos edidit, qui eadem aliqua, multa mutata, plurima adiecta, omnia vero compositiora et pro viribus elaborata continerent [7]). In

---

5) V. Inst. orat. 6, prooem. 3. 8, 6, 76, quibus addendi videntur 2, 4, 42. 5, 12, 23. In utroque enim loco alium suum laudat librum; alium vero ante institutionem oratoriam non ediderat. cf. 8, 3, 58. Tertius denique haud dubie huc pertinet locus 2, 10, 3, quamquam libri mentio non fit. At sententia eius, inter praecipuas, quae corrupissent eloquentiam, caussas licentiam atque inscitiam declamantium fuisse, ea est, ut in libro de caussis corruptae eloquentiae abesse non potuerit.

6) Inst. orat. 1, prooem 3 sqq.

7) Vid. de his omnibus prooemium libri primi totiusque simul operis §. 1—8.

prooemio libri sexti suae quoque voluptati se studuisse confitetur; filio enim hanc optimam partem hereditatis se putavisse relicturum, ut, si se fata intercepissent, praeceptore tamen patre uteretur. Quam ob caussam quis mirabitur, omnes ingenii facultates, omnem diligentiam operi traditas esse a Quintiliano? Non scribendi ardore, non vana gloriae cupiditate, non alia quadam ratione indigna commotus est, sed iis rebus, quae summae recte habentur inter homines, iuvenum bonorum utilitate, familiarium precibus, filii amore, studio denique veritatis. Amorem literarum, quo flagrabat, totum, totam vitae ususque longi experientiam, totam denique doctrinam ex innumeris utriusque linguae scriptoribus comparatam 8) in illo opere velut in thesauro deposuit. In institutione oratoria ipsum Quintilianum habemus, nulla eius parte praeter terrenas, ut ita dicam, neglecta; quo factum est, ut ante scriptam hanc nonnullos libros tanquam partes sui emitteret, post autem, quum se totum quasi dedisset posteris nihilque eius superesset, nullum ederet.

Dicavit opus suum Marcello Victorio, cum amicissimo, tum eximio literarum amore flagranti. Nec vero propter haec modo dignissimum eum hoc mutuae caritatis pignore iudicavit, sed quod ex eius maxime voluntate ad scribendum se accinxerat et erudiendo eius filio non inutiles fore libri videbantur 9). Quis fuerit iste Marcellus, e Statio cognosces, qui et ipse quartum Silvarum librum ei dedicavit praefatione pedestri et quartam eius libri epistolam ad eum scripsit. Clarus fuit eloquentiae forensis laude, gratiosus apud Domitianum magnisque rebus gerendis, etiam bellicis, paratus.

Quando libri de institutione oratoria scripti sint.

Tempus, quo libri de institutione oratoria scripti sunt, satis accurate potest definiri. Primum igitur illud teneamus, eos ante annum 80 scriptos esse non posse. Namque post abdicatum demum praecipiendi munus ad scribendum se accinxit Quintilianus, antea tot negotiis districtus, ut ne actionibus quidem in publicum emittendis otium haberet. Sed ne mox quidem post munus abdicatum scripsit; quod praecipue quidem ex ipsius verbis colligimus

8) Paulo plus quam biennium legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. Vid. epist. ad Tryph. init.

9) Inst. orat. 1, prooem. 6. cf. 6, prooem. 1. Filio Marcelli ex optimi codicis (Amb. 1.) lectione nomen est Getae. Statius in Silvis 4, 4 Gallum eum nominat, iuvenem patri valde dilectum ingeniique eximii.

tantum non in operis principio dicentis, iam pridem praecipiendi munus sese deprecatum esse [1]), et alio loco, diu sese reluctatum esse familiaribus, ut aliquid de ratione dicendi componeret postulantibus [2]); praeterea vero e rerum quarundam commemoratione haud dubie pluribus annis post gestarum. Mittamus quidem quae Dodwellus de Britannia disputavit [3]) existimans, eam anno 86 per Agricolam circumnavigatam esse. Neque enim satis firma est eius argumentatio; quamquam valde, fateor, interim arrisit mihi opinio, quaestioni an Britannia insula in scholis haud dubie saepe tractatae verba nam tum ignorabatur eam ipsam ob caussam a Quintiliano adiecta esse, quod sua demum aetate et quidem nuperrime ea Britanniae conditio innotuisset [4]). Minoris etiam momenti sunt quae idem vir doctus de Domitiano iuvene imperio donato disseruit [5]). Neque enim solum alienam pro vera codicum lectione isti loco obtrusit, sed ita insuper argumentatus est, ut vix ab ullo comprobetur. Haec sunt verba Quintiliani: »Quid tamen, inquit, his ipsis eius operibus, in quae donato imperio iuvenis successerat, sublimius [6])?« De poeticis Domitiani operibus loquitur. In his pro donato legens donatus sic fere disputat Dodwellus. Quintilianus laudat Domitianum, quod adhuc iuvenis imperator factus sit. Atque hoc quidem merito fecisset; natus est enim Domitianus anno 51, ut ex censu Romanorum, qui annum aetatis 35 finem iuventutis habebant, iuvenis esset anno 81, quo ad imperium accessit, triginta annos natus. Pergit; quod Quintilianus scribit, quum donaretur imperio, iuvenem fuisse Domitianum, inde manifestum est, hunc eo tempore, quo Quintilianus scripsit, iuvenem esse desisse. Ergo post annum 86, annorum illorum triginta quinque terminum, scripti sunt libri Quintilianei. Sed mihi quidem persuasum est, et veram esse codicum lectionem, et longe aliud quid dicere voluisse Quintilianum. Donato enim imperio dictum est pro condonato, relicto [7]), et explicandum est ex Suetonio, qui narrat, Domitianum in Senatu iactare non dubitasse, et patri se et fratri imperium dedisse. Nimirum deus haberi, ut constat, voluit [8]). Cui iactationi Quintilianus se accommodans, iuvenem ait Domitianum et patri et fratri imperium donasse literisque non sine eventu studuisse. Atque in hac quidem re etiam cum alio Suetonii loco conspirat, quo ante imperium poeticae studium

---

1) Inst. orat. 2, 12, 12.

2) Inst. orat. 1, prooem. 1.

3) Dodw. l. c. §. 22.

4) Inst. orat. 7, 4, 2.

5) Dodw. l. c. §. 23.

6) Inst. orat. 10, 1, 91.

7) Cf. Zumptii not. crit. ad l. c.

8) Suet. v. Dom. c. 13

simulasse Domitianus narratur [9]. Mittamus inquam haec argumenta ad persuadendum minus accommodata, aliud habemus ita comparatum, ut nihil dubitationis relinquat. In tertio enim operis sui libro Quintilianus mentionem fecit certaminis in honorem Iovis Capitolini post quinquennium quodque celebrati, quod institutum a Domitiano primum celebratum esse anno 86 ex Censorino scimus [10]. Nonne manifestum inde est librum tertium et item ceteros aut ipso anno 86 aut postea scriptos esse? Atque puto, quod de insula Britannia opinati sumus, idem huic rei rectius adhiberi. Namque quum multas alias laudandi occasiones in exemplum potuisset afferre, illud Domitiani institutum et honoris caussa et propter novitatem maluit.

Ceterae res, quae apud Quintilianum memorantur, vel recentissimae, omnes ante illum terminum acciderunt. At in Valerio Flacco poeta, qui anno 88 mortuus esse creditur [11], nuper multum amissum esse Quintilianus ait [12]. Et paulo post Domitianum appellat Germanicum Augustum [13], quod nomen item anno 88 solemne evasit. Hieronymus enim ad Ol. 216, 3 (88 p. Ch.) duo, inquit, menses aliter appellati, September Germanicus et October Domitianus, Suetonius autem id factum narrat eodem fere tempore, quo post duos triumphos Domitianus Germanici cognomen assumserit [14]. Sed haec facilia sunt ad expediendum. Ut enim post annum 86, sic ante finem anni 89 certum videtur Quintiliani libros scriptos esse. Atque tres fere habeo huius opinionis caussas. Earum prima est, quam supra paucis iam attigi, philosophorum per Domitianum expulsio prior, ab Hieronymo ad annum 89 notata [15]. Dodwelli quidem argumentationem, cui ante illud edictum Quintilianus putatur opus suum confecisse, quod assentator Domitiani tam proclivis philosophiam et ipsos philosophos, Socratem imprimis, post non fuisset laudaturus, bene iam Spaldingius refutavit dicens [16], Domitianum voluisse videri philosophos tanquam viros malos proscribere, non ipsam philosophiam odisse. Inde autem colligens, libros Quintiliani post expulsionem istam scriptos esse, in magno haud dubie versatur errore. Cum falsis enim quorundam rationibus res ipsae falsae non evadunt, et priusquam contrariam sequaris opinionem necesse est videas, annon melioribus argumentis altera possit defendi. Quod non dubito, quin fieri

9) Suet. l. c. cap. 2.
10) Inst. orat. 3. 7, 4. cf. 2, 8, 7. Suet. Dom. 4. Cens. cap. 17.
11) Fabric. bibl. lat. 2, 250.
12) Inst. orat. 10, 1, 90.
13) Inst orat. 10, 1, 91.
14) Suet. Dom. c. 13.
15) altera ad annum 96 notata est.
16) Spald. ad inst. orat. 1, prooem. 16.

possit hoc fere modo. Constat enim, Quintilianum, ut scriptores illius aetatis tantum non omnes, Domitianum vehementer esse adulatum. Deum illum, quamquam ex edicto principis [17]), appellat [18]), pietatem eius morumque sanctitatem quam maxime laudat [19]), in numero poetarum insignem eum atque ut in omnibus, ita in eloquentia quoque eminentissimum praedicat [20]), res tamen gestas altius etiam tollit laudibus, quam literas atque eruditionem; ne multa, quotiescunque per occasionem fieri potuit, principis gloriae dedit operam. Iam vero philosophos quoque urbe extrusit Domitianus, quibus noster perpetuo obtrectavit cum propter neglectionem reipublicae, tum quia non virtute ac studiis laborarent, ut haberentur philosophi, sed vultum et tristitiam et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetenderent [21]). Anne putas, id casu quodam Quintilianum neglexisse, rerum a Domitiano gestarum alias haud immemorem? Certe occasio, ne dicam necessitas memorandi frequenter adfuit, et ubi summam tunc philosophorum perversitatem in totum perstrinxit, et vel maxime in capite decimo sexto libri secundi, ubi iis, qui in artem rhetoricam invehi solebant atque exempli gratia nunc enumerabant, qui perniciosa non singulis tantum, sed rebus etiam publicis usi eloquentia turbassent civitatium status vel evertissent, nunc Lacedaemoniorum civitate expulsam eam aiebant, defensurus opposuit, rebus utilissimis quibusque et optimis homines male uti, eo tamen ipsas non evadere malas; sic in iis, qui philosophorum nomine male uterentur, gravissima nonnunquam deprehendi flagitia, ipsa philosophia dignitatem suam atque integritatem retinente. Quid? quod memorata philosophorum expulsione non solum gratiam sibi apud principem, sed auctoritatem quoque publicam suae de philosophis opinioni paravisset. Cui enim de re principi probata tunc quidem non persuadebat? Itaque certius est, quam verisimilius, libros de institutione oratoria scriptos esse ante expulsos philosophos. Quamquam illud haud negaverim, Domitiani in philosophos odium Quintiliano, quum scriberet, iam fuisse cognitum.

Ad alteram transeamus caussam. In prooemio libri quarti Quintilianus novam ait dilgentiae caussam et altiorem sollicitudinem, quale iudicium hominum emereretur, sibi accessisse, quum Domitianus Augustus sororis suae nepotum sibi delegasset curam. Hos Flavii Clementis filios fuisse et Domitillae,

---

17) Hieron. in Euseb. chron. ad Ol. 216, 2.

18) Inst. orat. 4, prooem. 5.

19) Inst. orat. 4, prooem. 3.

20) Inst. orat. 4, prooem. 3. 10, 1, 91.

21) Inst. orat. 12, 2, 6 sq. 1, prooem. 15.

neptis Vespasiani, alterius Domitillae, sororis Domitiani et ignoti mariti filiae, ex Dione praesertim novimus et Suetonio atque nostro [22]). Flavium autem Clementem Domitianus repente ex tenuissima suspicione tantum non in ipso eius consulatu interemit. Quod anno 96 ineunte factum verisimile est; anno enim 95 Flavius Clemens consul fuit, et Suetonius narrat, Domitianum, qui anno 96 exeunte regno vitaque pulsus est [23]), inde maturasse sibi exitium. Antea tamen, ut idem Suetonius narrat, filios eius etiam tum parvulos successores palam destinaverat et, abolito priore nomine, alterum Vespasianum appellari iusserat, alterum Domitianum; nec falli videmur factum id rati aliquot annis ante patrem occisum. Quamvis enim crudelissimus fuerit Domitianus, eo tamen furoris non videtur progressus esse, ut eiusdem hominis et amicissimus et inimicissimus esset eodem tempore. Eo facilius ad istam opinionem perducimur, quod Suetonius narrat, filios Clementis adhuc parvulos fuisse, quum successores a Domitiano destinarentur. His enim verbis laxe modo cum necis memoria coniunctis videtur indicare voluisse, inter hanc et puerorum adoptionem aliquod interfuisse spatium. Sed ne adoptaverat quidem Domitianus nepotes sororis suae eo tempore, quo Quintiliani curae traditi sunt. Neque enim Domitiani filios adoptivos Quintilianus eos appellat, neque nomina iis tribuit post adoptionem accepta, verum, id quod post adoptionem non debebat facere, sororis Domitiani nepotes eos nuncupat. Quae quum ita sint non vereor, ne quis coniecturandi cupiditatem vitio mihi vertat existimanti, annis fere octo ante necem Clementis, anno igitur 87 Quintilianum et pueros istos curandos accepisse, et librum quartum institutionis oratoriae composuisse. Ratio enim proposita, licet minus valeat sua vi probandi, — quis enim neget, id, quod nos anno 87 factum censuimus, uno anno vel duobus ante vel post fieri potuisse? — cum ceteris tamen connexa et ipsa fit gravissima et harum fidem auget.

Restat, ut de tertia caussa disseram, quae non solum id praestabit, quod proximum est, sed alias simul res in vita Quintiliani dignas memoria explanabit. Desumpta ea est ex Hieronymi chronicorum Eusebianorum interpretatione, qui ad annum quartum Ol. 217, post Ch. n. 89, imperii Domitiani 8 »Quintilianus, ait, ex Hispania Calagurritanus primus Romae publicam scholam et salarium

22) Dio. 67, 12, 14. Suet. Dom. 15. Quint. 4, prooem. 2. cf. Anton. l. c. §. 246. Philostratus in vita Apollonii l. 8. falso uxorem Clementis Domitiani dicit sororem. Haec enim Vespasiano patre adhuc privato mortua est. V. Suet. Vesp. 3. Itaque non potuit, id quod Dio de uxore Clementis narrat, in Pandateriam insulam relegari a Domitiano.

23) Suet. Dom. 17.

e fisco accepit et claruit.« Quorum verborum si quis cum Dodwello explicationem ingeniosam malit adfectare, quam facilem [24]), vereor, ne idem illi accidat, quod plerumque solet, ut res inanes et quae procul sunt petens ea perdat, quae proxima sunt manibusque tenentur. Simpliciorem igitur et quae artem minime redolet propositurus ad illud maxime velim animus advertatur, inter primam, quam de reditu Quintiliani Hieronymus habuit, mentionem atque alteram de publica accepta schola spatium interesse annorum viginti, nec facile esse ad intelligendum, quum Quintilianus per totum illud spatium praeceptoris munere functus sit, cur tam sero demum ea res memoria digna sit habita. Quapropter mihi quidem persuasum est, novum aliquid munereque annorum antecedentium multo praeclarius Hieronymum voluisse narrare. Adhuc, ne longus sim, Quintilianus in schola quidem iuvenes docuerat centenaque annua e fisco acceperat, sed schola eius non fuerat publica, salarium non certum. Atque eam ipsam ob caussam utrumque iam pridem deprecatus erat. Tum vero a principe publicam accepit scholam salariumque certum. Primus illa accepit atque claruit; itane sanus quidem homo dixisset, si et inter privatas aliorum scholas, multo etiam ante Quintilianum pervulgatas, huiusque publicas, et inter centena annua, quae Vespasianus rhetoribus constituerat, salariumque Quintiliani certum interfuisset nihil?

Nec mireris hanc Quintiliani inconstantiam. Tantus enim amor eius fuit artis oratoriae, tanta admiratio, ut, quum spes esset fore, ut, quaecunque in libris suis praecepisset, ex obscuritate scriniorum in vitam quasi duceret et ad verbum vera redderet, deprecationis suae immemor iterum praeceptorem sese profiteri officiumque illud gravissimum subire nullus dubitaret. Saepissime non solum grammaticorum, sed rhetorum quoque falsam docendi methodum vituperaverat; atque ea vitia in his detexerat, quae nisi publica schola instituenda corrigi non poterant [25]); tandem aliquando publica donatus schola, nonne debebat impetratam quietem iuvenibus erudiendis denuo impendere? Audeo suspicari, quamquam auctore certo destitutus, ipsum a Domitiano fautore scholam publicam petiisse.

---

24) V. supra p. 25.

25) Illud unum satis erit ad probandam hanc opinionem, quod in primo capite libri secundi Quintilianus queritur, et rhetores suas partes omisisse, et grammaticos alienas occupavisse; nam illos declamare modo et scientiam declamandi ac facultatem tradere officii sui ducere; hos autem non satis credere excepisse relicta, sed ad prosopopoeias usque et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum sit, irrumpere. Sed totum illud caput idem demonstrat aliique loci multi.

Ergo Hieronymus quoque testis est incorruptus, ante finem anni 89 libros de institutione oratoria scriptos esse. Nam Quintilianus, ut ceteras res, quae vel ante vel inter scribendum sibi accidissent, memoriae prodidit sive tristes erant, sive laetae, sic illius quoque honoris maximi oblitus non esset, quum librum suum componeret, si tum ornatus eo iam fuisset.

His igitur argumentis, ut iam illuc revertamur, unde egressi sumus, extra omnem dubitationem positum videtur id quod supra contendimus, libros de institutione oratoria ab anno 86 ad finem anni 89 scriptos esse, hisque annis illud paulo plus quam biennium contineri, quod libris suis sese impendisse ipse Quintilianus narrat [26]). Difficultas autem, quae Valerii Flacci et Germanici Augusti commemoratione iniecta nobis visa est supra, tantum abest, ut non sit expedita — liber enim decimus, qui ista exhibet, e ratione nostra aut fine anni 88, aut anno 89 ineunte scriptus est, itaque post Domitianum cognomine suo ornatum Flaccumque mortuum —, ut sententiam propositam magis etiam veram reddat. Nuper enim in Flacco multum amissum dicitur, atque in libro demum decimo ista occurrunt, non antea; quod facilius profecto non potest explicari, quam si existimes, libros novem primos scriptos esse, quum cognomen Germanicus nondum in usu, Flaccus vero adhuc inter vivos esset eamque ipsam ob caussam ex more Quintilianeo laudari non deberet.

Reliquum erat, ut de luctu sermo esset, quem uxoris filiorumque mortes Quintiliano tulerunt [27]), de consulari, qua ornatus dicitur, dignitate [28]), de divitiis eius maximis [29]) modicisque facultatibus [30]), de matrimonio altero et filia inde sublata [31]); sed tempus est finem imponere huic disputationi. Haec igitur, si per occasionem licuerit, alio tempore tractabimus.

---

26) Quint. ep. ad Tryph.
27) Inst. orat. 6, prooem.
28) Auson. Grat. act. pro consul. p. 712 ed. Toll. cf. Iuven. Sat. 7, 197.
29) Iuven. Sat. 7, 188.
30) Plin. epp. 6, 32.
31) Plin. l. c.